ГРАММАТІКА СЛАВЕ́НСКАѦ

Мелетїа Смотрискагѡ
Мнiха Рѡссїйскагѡ Чина Стагѡ
Васїлїа Великагѡ
во Вилнѣ ҂аХѲІ изда́ннаѧ/
ны́нѣ
Матѳе́емъ Со́вичемъ Цресаниномъ
Архїдїакономъ Осо́рскимъ
Латiнски преведена/
~~нѣкимъ въ Стыхъ Вивлїахъ смотрѣнїемъ~~
мно́гимъ кра́тости ра́ди изя́тымъ
нѣкимъ въ Стыхъ Вивлїахъ смотре́нїимъ
приложе́нымъ/ ма́лымъ измѣненымъ.

Во Венетїи

GRAMMATICA SLAVONICA

Meletii Smotriski
Monachi Rutheni Ordinis S.
Basilii Magni
Vilnæ 1619 edita,
nunc
a Mattheo Sovich Chersensi
Archidiacono Auxerensi
Latinè explanata,
pluribus brevitatis causa rejectis,
nonnullis Sacrorum observatione Bibliorum
additis, paucis immutatis.

Venetiis

K K LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

Grammaticam hancce exscriptam a doctissimo Matthaeo Sovich, et Amico suo Fortis destinatam, post optimi viri mortem malis artibus ejus secum abstulit Rmus Camucius, tunc Justinopolitanus Episcopus, nunc, ni fallor, Tolmezzo degens. Ex ejus Bibliothecâ repetat illam, precor, quisquis Slavonicae Linguae zelator de Illyricâ natione bene mereri cupit.

1773.

Lectori Dalmatæ

Matthæus Sovich Cathedralis Ecclesiæ Auxeren. Archidiaconus

En tibi, amice Lector, in lucem prodit Opus, quod haud parum a nostra Dalmata Natione desiderabatur, quæ cum antiquam Slavonicam linguam in divinorum celebratione tum Latino, tum Græco ritu profiteatur a pluribus tamen annis universim caret probata notitia. Nec mirum si hucusque ignoraverit, defuit enim Genti nostræ, quo aptè linguæ hujusce perfecta cognitio adipisceretur.

Hinc jam patet quam, ad Sacros libros utriusque ritus intelligendos, necessarium sit. Meditatione deinde Operis ejusdem patebit et utilitas. Variationem enim, corruptelamque vulgaris dialecti Illyricæ de die in diem secutam agnoscemus, atque præcipuè ex quo Romanum inconsultè assumpsimus characterem, ad Slavonicas dictiones exprimendas non satis aptum, quantum de antiqua etiam elocutione perdidimus, clarè perspiciemus.

Negare autem in Illyricis Provinciis antiquam hanc Slavonicam linguam, quæ nunc litteralis nuncupatur agnitam usualemque fuisse, nefas.

Convincitur enim tum Sedis Apostolicæ auctoritate, quæ ignota quidem lingua Sacra celebrare minimè concessisset, tum auctoritate Nationalium Conciliorum, atque spectabilium totius Dalmatiæ doctrinâ, et dignitate Virorum, quorum omnium monumenta, ut minus prolixè agam, proferre ommitto. Attamen quod antiquitate nostrorum Codicum, librorumque probatur, minimè silentio prætereundum duco.

Vetustissimus quidem Codicum censendus est, de quo Achridanus Archiepiscopus Raphael Levacovich

in

in suo autographo, apud Jadrensem Archiepiscopum Matheum Caramanum fel. record. asservato, de littera Slavonica Hieronymiana ✠ agens, refert: „Rectum illius tum sonum, „tum usum ex Psalterio, quinto ab hinc sæculo, hoc est anno „Incarnationis Dominicæ 1222 ..... a Clerico quodam „Arbensi Nicolao nuncupato, characteribus Glagoliticis „in charta membrana transcripto, atque ut ibidem „dictus Clericus Nicolaus præfatus est, ex alio similiter „Psalterii, impensis et mandato Theodori ultimi Sa„lonitani Pontificis, Slavonica lingua manuscripto „Codice fideliter descripto, assidua ejus lectione di„ci. Quod quidem Psalterium tribus circiter post an„nis, quam Missale ediderat, fel. record. D. Joannes „Tomeus Marnavicius Bosnensis Episcopus de bonis „litteris, deque Illyrica Natione optimè meritus „antiquitatis cognoscendæ gratia, ad menses aliquot „mihi lustrandum, et si vellem transcribendum co„modaverat=.

Ad millesimum et centesimum circa annum firmis argumentis laudatus Archiepiscopus Jadrensis Caramanus refert Macedonicum Codicem charactere antiquo Hieronymiano exaratum, Græco ritu Epistolas, et Evangelia pro Dominicis et Festis diebus exhibentem Præsulis Josephi Simonii Assemani Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, quem idem Archiepiscopus in Apologia novissimi Missalis Slavonico idiomate a se correcti, Benedicto PP. XIV oblata, fusè designavit. Græci ritus tum Codices, tum libros nonnisi Cyrilliano charactere exaratos novimus, iste Græci ritus Codex unicus Hieronymiano charactere innotuit, quamvis Scriptor ejusdem et in Cyrilliano charactere satis exercitatus erat; nam picturis in maximis litteris initialibus inscriptiones

Cyrillianis

cyrillianis litteris confecerat. Ex tam notabili inspectione certo deducimus, Hieronymianum characterem utpote antiquiorem etiamtum viguisse apud Illyricos, ita ut Scriptor proprio labori utilitatem sui proximi prætulerit, multo facilius quippe Cyrilliano charactere Codicem exaraſset.

Bulgarorum Codex Bibliothecæ Vaticanæ, ab eodem Archiepiscopo æque ibidem fusè designatus, a me quoque, sicuti et alii Codices plures, minutatim discuſsus, quamvis non sit Sacer, sed Historicus, nihilominus litterali lingua, Cyrilliano charactere scriptus visitur; ad annos autem priores 1350 reducendus. Historiam a Creatione usque ad Nicephorum Botoniatem protrahit, ad petitionem Regis Joannis Alexandri Macedonis translatus Græco in Slavonicum.

Cis-Danubianos esse duos Codices Bibliothecæ Vaticanæ non dubitamus, nam characteres ipsi, et scribendi ratio id accusant, quos Præfectus Bibliothecæ Aſsemani ita describit Tom. 1. part. 1. cap. VIII Kalendar. Ecclesiæ Universæ: „ Habentur in Bi„bliotheca Vaticana duo optimi Codices manuscri„pti Ruthenicè. Primus vetustiſsimus in membra„nis..... sunt autem Lectiones Evangelicæ per „anni circulum juxta ritum Ecclesiæ Græcæ..... „Codex ut videtur, exaratus sæculo undecimo, „quum ea tantum in ipso festa Sanctorum oc„currant, quæ illud sæculum antecesere=.

„Alter Ruthenicus Codex paulo recentior est, sæculo, „ut videtur, tertio decimo exaratus in folio bom„bycino..... integer est quatuor Sanctorum E„vangeliorum Codex, hoc ordine dispositus. Fol. 1. „Index cap. LXVIII Matthæi. Fol. 2. Theophilacti

Archie=

„ Archiepiscopi Bulgariæ Præfatio.....=. Nec officit Codices ipsos Ruthenicos vocari, cum vox hujusmodi characterem tantum Cyrillianum, apud Ruthenos usualem appellet: idem enim Auctor Paragraphos hujus Capitis sic inscribit, ad primum Codicem:
„ In Codice Vaticano manus. 1. membraneo Lectio=
„ nes Evangelicæ per annum, et Kalendarium San=
„ ctorum Slavonicè=. Ad secundum vero: „ In Cod.
„ ms. Vat. II Bombycino, Slavonico§=. Notandum Auctorem præter hæc Arabem Maronitam fuisse, etsi linguis Orientalibus, atque Latinâ Virum doctum, non tamen Illyricæ linguæ proprietatem penetrasse: imo Ipse non spernendum Slavonici scribæ munus in eadem Bibliotheca mihi obtulerat, postquam Slavonicæ linguæ Cathedra in Urbano Collegio Romæ, Decreto Benedicti PP. XIV mihi fuerat sancita.

Cis=Danubianus Cyrilliani characteris Græci ritus, et ad nos Illyricos similiter pertinet et tertius antiquus Codex in peculiari Bibliotheca Benedicti PP. XIV ab Archiepiscopo Jadrensi Curamano, et a memetipso examinato, non tamen satis commodè, idcirco cujus sæculi sit statuere non licuit. Complectitur autem novum Testamentum cum Psalterio.

Meus olim Codex, nunc autem Eruditissimi Viri Alberti Fortis in Litteratorum Republica satis cogniti, Littori Austriaco adscribendus Loco S. Georgii parum a Segnia distanti, a Scriptore ignoto Michaeli Soltich Presbytero ante annum 1462 dicatus, varias Lectiones Sacræ Scripturæ, Sanctorum gesta, Visiones, morales Sermones, Missam auream absque consecra=

tione

tione a superstione, et calliditate potius ignorantiæ, atque avaritiæ, quam a vera pietate concinnatam, aliaque plura continens. Hinc partim semivernaculæ, partim litterali lingua tum in membraneis, tum in chartaceis foliis Hieronymiano charactere conscriptus.

Bosnensibus quoque litteralis linguæ Codices non defuere. Apud me parvus Codex Græco ritu Cyrilliano charactere Apocalypsim B. Joannis Apostoli cum initio Evangelii S. Joannis præbet: librumque sequens Nota terminat: „Hos libros scribit Radosav christi„anus Gonsavo Christiano, et scriptum fuit diebus „Dñi Regis Tomaso, et Avi RatKo. Dñi, si ali„quid male posui, nolite deridere, quia fuere mi„hi manus lassæ labore. Legite, et benedicite, vos „autem Deus benedicat in sæculum". Notandum in postremo Codicis folio eädem manu proditur Versus 13 Cap. 2. ad Titum Hieronymiano charactere, sed non obvio, nec alibi unquam a me perspecto; ejus characteris Alphabetum bis præcedentibus in paginis, atramento, rubroque colore Scriptor ipse ineptè, et non integrè inseruit. Ideo hic una cum charactere Codicis fideliter exscribendum duxi, atque monendum; litteras tres numeris (1) (2) et (3) signatas pa-tulos esse errores. Primam, et secundam Scriptor ipse in fine situ proprio eas iterat, et pro diphtongis ponit, ut ex Textu ad Titum liquet. Tertia autem prorsus ad Cyrillianum characterem spectat.









(*)

Ex Vers. ad Titum



(*) *Hæc ultima littera pro diphtongo* ѥ *in Codice usurpatur, et est peculiaris huic Codici.*

Ejusdem ritus Græci et Cyrilliani characteris Manuscriptum librum Duci Spalatensi Hervoe Bosnæ Seniori, seu Præfecto Starosta nuncupato circa annum 1406 dicatum, Actus, et Epistolas Apostolorum & continentem, Facciolatus Vir doctrina celebris uti Codicem Vaticanâ Bibliothecâ dignum Benedicto PP. XIV obtulit.

Ad Missalium Breviariorumque Codices mihi notos, Romani ritus, Slavonica litteralis linguæ, in charta membranea, nitidis Hieronymianis characteribus descriptos breviter recensendos transeamus.

In Ecclesia Collegiata S. Michaelis Jadræ Missale, ac Breviarium reperitur. Ex Notatione quoad ipsum Breviarium recenti a quodam Clerico Knaciza ante Kalendarium anno 1412 appositâ, Codicem forte sæculo integro antiquiorem putare licet.

In S. Joannis Monasterio Jadrensi Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci similium Codicum fragmenta inspiciuntur. Unius tantum Scriptorem habemus, scilicet: „ Presbyterum Michaelem M., „ cui terra mater, sepulcrum domus, opulentiæ peccata anno 1443 =

Non mi=

Non minoris antiquitatis Breviario præfato Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis, Breviarium simile parochialis Ecclesiæ Pagi Sale in Jadrensis Diœcesis Insulis siti apparet.

Ejusdem Parœciæ Fratres Tertii Ordinis prædicti in eorumdem Monasterio de Zaglava æque antiquum Breviarii fragmentum ac parochialis Ecclesia adhuc retinent; ambo autem die 14 Februarii Officium cum sex Lectionibus propriis de Sancto Cyrillo continent.

Romæ Collegii Urbani de Propaganda Fide Bibliotheca quinque hujusmodi Codicibus integris ornatur. Duo Breviaria, tres verò sunt Missalia.

Ex sequenti Notatione patet ætas primi Breviarii:

„ Anno Dñi 1387 Fabianus cui mater terra, pec-
„ cata divitiæ, et sepulcrum patria scripsi hanc
„ rubricam, non autem hunc librum=.

Alteri vero Breviario Latinam Notationem Archiepiscopus Achridanus Levacovich anno 1642 apposuit: „ Ex hac Epistola Bonifacii PP. IX, qui Urbano
„ VI successit colligitur Breviarium hoc scriptum
„ fuisse post annum 1389, quo eadem data est. Ex e-
„ jusdem quoque translatione apparet in Dalmatia
„ Regis vocabulum tum per Czar, tum per Kral in-
„ terpretatum. Tempore quo translatio hæc facta
„ est, atque ita saltem pars hæc scripta fuit non
„ ante 253 annos, quo tempore jam lingua Slavo-
„ nica puritas corrumpi depravarique cæperat=.

Primum Missale annum 1387 præcedit, nam hoc anno posteriori manu folio ante Commune Apostolorum Decreta Joannis Episcopi a Vicario Fr. Matthæo referuntur. Ex Inventario autem sacrarum supellectilium de mandato Principis

Joannis

Joannis Frangipani anno 1475 Veglam missarum colligitur, inter Missalia Slavonica extitisse etiam Sacram Scripturam.

Secundum Missale incipit: „ In Nomine Jesu Amen. „ Anno Dñi 1435. Principium Missalis secundum le= „ gem Romanæ Curiæ=. Folio ante Canonem legimus: „ Hoc scripsit Presbyter Marcus Presbytero Blasio in „ Obrovo Cappellano S. Georgii itidem in Obrovo viro „ probo et Visitatori Dñi Episcopi Dñi Natalis. Tunc „ autem Dñs Natalis subjecerat totam decimam Li= „ canam Sancto Anselmo per sæcula sæculorum=. Ex quo eruimus Codicem Nonensis diœcesis fuisse, ibique scriptum. Cathedralis Ecclesia Nonæ S. Anselmo dicata est, Obrovo Castrum prope Nonam hodie dicitur Obrovazzo, et Lica quondam pars Nonensis Diœcesis erat.

Tertium tandem Missale, ut in eodem habemus, anno 1402 jussu Sacerdotis Lupi, qui Abbatis Coprivensis Nepos erat, scriptum fuit.

Notandum plures recensiti Codices præter ligneas tabulas pro involucris habent et membranea folia aliorum Codicum, quæ antiquitate jam consumptorum, adhuc vetustiorum, præcedentium Breviariorum, ac Missalium fragmenta sunt. Proinde hujusmodi Sacros Codices sæculo x vel saltem xi exaratos meritò putamus.

Ab antiquis Codicibus ad vetustos typo impressos libros litteralis linguæ, et Hieronymiani characteris descendamus.

Primus cujus exemplar apud me extat, initio, portione Kalendarii, et majusculis ubique litteris caret. Post Kalendarium hoc Titulo incipit: „ Principi= „ um Missalis secundum legem Romanæ Curiæ. „ Dominica prima Adventus &=. Quamvis ubi, et

a quo

a quo impressum mihi etiamnum compertum non sit; in fine Missalis tamen tempus impressionis notatur: „Anno Dñi 1483 Mense Februarii die 12 hæc „Missalia fuerunt absoluta=.

Fr. Paulus Modrussiensis Ord. Minor. Conventualium S. Francisci anno 1528 Venetiis, typographis Francisco Bindoni, et Mafeo Pasyni Sociis aliud Missale edidit, cujus initium post Kalendarium idem est cum primo.

Post annos tres Simon Cosicich Modrussiensis Episcopus Flumine suis expensis, in ædibusque propriis tertium Missale luci dedit.

Præterea idem Episcopus litterali lingua, ac Hieronymiano charactere librum de vita Romanorum Pontificum, et Cæsarum anno 1531, aliosque libros typis mandavit, ut ipsemet in Præfatione hujus ad Thomam Nigrum Episcopum Tragurien sem testatur. Editiones ejusdem antiqua Slavonica puritate linguæ plurifariam carent; Verumtamen Auctor veniam meretur. Etenim in eadem Præfatione refert, defuisse apud nos Codices libros que litteralis linguæ, præter Missalia et Breviaria, et hæc etiam (proh dolor!) ab infidis Scribis corrupta, necnon ignaris Interpretibus vitiata, adeo ut puduisse ipsum propriæ linguæ, ægre que tulisse, Mysteria Fidei nostræ alieni Sermonis vocibus, vitiatisque verbis celebrari, affirmat. De hujusmodi defectu postmodum et Achridanus Archiepiscopus Levacovich conquestus est, ut in ejus Animadversione ad secundum Breviarium Collegii Urbani retuli. Eximius quoque Vir Joannes Pastritius, cujus memoria vivet in ævum

tum

tum Manuscriptis, tum Epitaphio, quod in Templo D. Hieronymi Illyricorum Urbis legitur: „ Joanni „ Abb. Pastritio Spalatensi in Collegio Urbano de Pro= „ paganda Fide Theologiæ Polemicæ Lectori emerito, „ Accademiæ de Conciliis Institutori, omnigena eru= „ ditione, exoticisque linguis ornatiss. ob. XIII. Kal. „ April. MDCCVIII=, in suis MS. Romæ in Collegii Urbani Bibliotheca repositis Volumine signato B, Archiepiscopis, et Episcopis Dalmatiæ scribens, tradit: „ Miror sane tot sæculis squaluisse no= „ stras regiones in præcipuo coronæ nostræ ra= „ dio, nempe litterali dialecto. Quoties enim an= „ tiqua manuscripta pervolvi Breviaria, tot er= „ roribus conspersas lineas, et in Orthographia, „ et in Grammatica reperi=. In adversam hu= jusmodi fortunam et Cyrilliani characteris Co= dices Cis= Danubiani inciderunt, et præcipuè libri impressi, quorum aliquos jam jam indi= cabo.

Nicolaus Brozich Castri Musculi, quod Illyricè O= miscjal dicitur in Insula Veglæ siti, anno 1561 Venetiis apud Filios Joannis Francisci Turresani Breviarium impressit, cui Missæ Canonem, Voti= vas Missas, et Rituale adjunxit.

Si aliquos vetustiores Græci etiam ritus Illyricos libros intueamur, qui Cyrillianum ubique chara= cterem præseferunt, eos quoque in Illyride anti= quam Slavonicam linguam profiteri perspiciemus.

Macarius quidam Monachus Mauromontis, vulgo Montenegro nuncupati, jussu Gregorii Cernoevich, et Babilæ, quorum alter Mauromontis Princeps, alter Episcopus anno 1474 librum ΩΧΤΟΗΧΣ typo dedit.

lege 1494. nam habeo prae oculis Macarii hanc ὠκτώηχον.

Boxidar

Boxidar Vucovich Dux militum de civitate Podgoriza, ex ruderibus Dioclea ortâ, suis expensis characteres Cyrillianos in patriam delaturus formavit, interim Venetiis anno 1538 librum Минеи edidit.

Monachus Stephanus Scodrensis eodem fere tempore Scodræ librum Тріωдь impressit. Tres hujusmodi libros Ecclesia Parochialis Græci ritus Diœcesis Jadrensis Pagi Miragne tenet servatos.

Vincentius filius præfati Boxidar Vucovich anno 1561 Breviarium, et anno 1564 Missale Slavonicum Græci ritus Venetiis typis mandavit, qui ambo libri Romæ in Bibliotheca collegii Romani repositi cernuntur. Titulus Epistolæ ejusdem Vincentii in ipsis libris inserta sic Latinè sonat: „In Jesu „Christo multum Reverendis Patribus Archiepiscopis, Episcopis, Sacerdotibus, Monachis, et cæteris „Religiosis, pariterque piissimis Gubernatoribus, et „Regibus Macedoniæ, Serviæ, Bosnæ, Syrmii, et cæteris Principibus Christianis magnis, et parvis hujusce linguæ professoribus tamquam fratribus, Dominis, „et indigenis suis Vincentius Dñi Boxidar Vucovich od Stariza nuncupatus, valde caram salutem=.

Hujusmodi jam certis de antiqua Slavonica lingua documentis perpensis, poteritne quis hæsitare, eam Illyricis in Provinciis satis agnitam, usualemque fuisse? Num Bosnensis dialectus erit antiqua puriorque Illyricorum lingua, prout nonnulli absque fundata ratione contendunt, et pro illius antiquitate pugnant?

Post centum et viginti captivitatis annos Hebræorum lingua tantam passa est corruptionem, ut Hebræi ipsi eam minimè intelligerent; æque ac Græcorum vulgus eam linguam Græcam ignorat,

qua

quæ olim Græciæ communis erat. A primo ad secundum Carthaginense bellum tale discrimen Latinæ linguæ intercessit, ut Romæ post bellum secundum vix pacta primi legebantur. Postquam autem Italiam Barbari inundaverant, tot Italicæ emicuere dialecti, quot Provinciis discriminatur. Numquid Bosnæ regnum sive Provincia sub Romana prius ditione, a Crobatis, Serblisque capta, a Græcis, Pannonibus, et Germanis recuperata, a Turcis demum subjugata tam felici præstantia prædita erit, ut illæsam, incorruptamque suæ linguæ puritatem jugiter servaverit?

Si vulgaris sermonis Scriptores consideremus, utique nunquam duos reperiemus, qui loquendi forma inter se conveniant; quin potius ut Cassius Soc. Jesu in Præfatione Ritualis Romani Illyrici Romæ 1640 impressi, ait, se neque unum, qui cum seipso in scribendo constans esset, reperiisse: et ne ipse quoque hujusmodi culpa criminaretur, se Grammaticam Slavonicam composuisse, cui consonus semper sibi, scribens, adhæreret. Præterea vulgaris Illyrici idiomatis Scriptoribus inspectis, quo vetustiores sunt, eo minus a litterali lingua distare illos patebit. Aliquos tantum recensere liceat.

Segnensibus plus cæteris Dalmatis, antiquum scribendi, loquendique modum retinuisse danda est gloria. Cuicumque libros in ædibus Sylvestri Bodricich Segnensis Archidiaconi anno 1507, et 1508 Hieronymiano charactere impressos legenti veritas elucescet. Tria tantum hujusmodi impressionis Exemplaria apud me reperiuntur. Transitus nempe Divi Hieronymi, Manipulus Curatorum, et Quadragesimales Fr. Roberti Conciones.

Simon

Simon Rudineas Presbyter Jadertinus anno ……
Summam Doctrinæ Christianæ P. Canisii Slavonicè interpretavit, et Cyrilliano charactere luci dedit; quamvis Bosnensem magis, quàm Dalmaticam dialectum affectet, pluribus tamen litteralibus loquendi modis, præcipuè Sacros Textus proferens utitur.

Fr. Bernardinus Spalatensis Ord. Minor. de Observ. S. Francisci anno 1495, et

Tragurinensis Sacerdos Sborovcich anno 1586, vel 1588 (in meo enim exemplari non integrè ultimus numerus apparet) ambo Romanis characteribus Epistolas et Evangelia pro Dominicis, et Festis diebus infra annum occurrentibus, cum Benedictionibus, aliisque, Venetiis typis mandarunt. Ambo quoque in pluribus vocibus locutionem litterali modo efferunt.

Matthæus Alberti Nobilis Spalatensis anno 1616 Officium parvum B. M. V. et Defunctorum aliasque præces Ragusinæ Reipublicæ Dominis dicavit, non tamen Ragusina, nec Bosnensi dialecto, sed Dalmatica usus est; pluribusque litteralibus loquendi modis, ac vocibus. Causam verò ita scribendi in Præfatione ad Lectorem recenset:

„ Scio autem (ait Illyricè) quod invenientur verba nonnulla, quamvis purè Slavonica, quæ
„ non ubique sunt in usu, attamen ego illis usus
„ sum, ne recederem a verbis, quibus præcessores
„ nostri Reverendi Theologi usi sunt in Missali,
„ et Breviario Slavonico=.

Ut aliorum vernaculæ linguæ Illyricæ Auctorum enumerationem ommittam, qui et in Poematibus ab antiqua lingua ornamenta sumere non

Ipreverunt: proferam tantum Petrum Radovcich vel Gaudentium Spalatensem, Episcopum Arbensem, et Bosnæ Episcopum Tomcum Marnavich scriptis editis clarum, qui ambo inter recentiores potius recensendi sunt. Alter Expositionem Symboli Apostolici, cum aliquibus Opusculis spiritui excolendo devotis anno 1662: alter autem Uberiorem Doctrinæ Christianæ Explicationem Bellarmini Latino charactere Romæ typis Sac. Congr. de Propaganda Fide anno 1626 ediderunt non Bosnensi, sed Dalmatica dialecto vetustiori, et proinde a littera lingua minus distanti, ut cuicumque inspicienti est procul dubio compertum. (*)

Jam è contrario et Bosném scriptorem aliquem inspiciamus, ejorum dialectus ut præstantissima inaniter prædicatur, a pluribusque Concionatoribus affectatur; quandoquidem nonnisi Ardelii Dellabellæ Soc. Jesu Dictionarium Illyricum cum Grammatica tractare queant: Usum ~~que~~ potissimè Slavonici Alphabeti apud eos qualis sit, et quo lepore cum eo joculantur aliquantulum discutiamus.

En Inscriptio duorum Venetiis impressorum charactere Cyrilliano, quos præ oculis, manibusque teneo, librorum: Primi scilicet et amplioris anno 1611 editi: „Doctrina Christiana pro Genere populi „Slavonici. Hanc Doctrinam Christianam collegit, „interpretatus est, transtulit, et composuit Devo„tus Theologus Fr. Matthæus Divcovich de Jela„scjaK Ord. S. Francisci Provinciæ Bosnensis „nuncupatæ Argentinæ. Et hoc interpretatus est „vel transtulit ex Latina lingua in rectam, et ve„ram linguam Bosnensem, hos libros dictus Fr.

„Matthæus

„ Matthæus exscripsit, cum esset Cappellanus Saraiii
„ 1609 anno post Nativitatem Jesu Christi =.

Alterius autem ejusdem Auctoris et valde minoris libri anno 1675, 1683, et 1710, dicendum saltem secundò, tertiò, et quartò editi: „ Doctrina Christiana cum „ multis rebus spiritualibus, multumque devotis, quæ „ Doctrina Ledesmi, et Bellarmini, Doctrinam in unam „ restrinxit Devotus Theologus. Matthæus Divcovich „ de Jelasciak Ord. S. Francisci, et impressit Venetiis.

In hoc secundo libro post Kalendarium pag. 3 Auctor, Serviano idiomate scripsisse, profitetur, quamvis sermo hujus Operis nullo pacto a sermone Majoris Operis differat, immò prorsus in omnibus congruat. Quare vel Servianam dialectum omnino eandem esse cum Bosnensi, vel primum Opus non verè Bosnensium linguâ scriptum fuisse inferendum est; cum reverà Servianam inter et Bosnensem dialectum necessariò differentiam intercedere oporteat. Veritas namque tradita a Cassio in Præfatione supra relatâ neminem latet, ubi inquit: „ Pluries consideravi, cum alius- „ que perscrutatus sum, quo meliori modo, utilio- „ rique scribi exprimique possent nostræ Slavonicæ „ voces, nec invenire nobis fas erat ullum propri- „ um modum, qui acceptus esset regionibus sin- „ gulis, sed neque uni Civitati tantum. Quoniam „ sermonem, expressionesque verborum cuilibet „ Civitatis suæ commendat =. Si Civitates verna- cula dialecto inter se dissident, magis magisque Regni vel Provinciæ discrepabunt, et propriam loquendi formam commendabunt. At quidquid de Serviana dialecto dici possent, nihil in præsentiarum nobis interest.

Quapropter

Quapropter ad Bosnense idioma propositi Auctoris convertamus aciem. Apud eum profecto præ cæteris a litterali lingua distantiam patenter quisque notabit, consequenter et majorem quàm apud alios Scriptores antiqui Sermonis depravationem. Incertus deinde Slavonici Alphabeti usus multò magis antiquitatis corruptionem probat.

Primo quidem ubique et sæpissimè littera Ѫ oculis objicitur, priscis ignota ac inutilis, post corruptionem antiquæ linguæ apud quosdam Illyricos invecta charactere Cyrilliano tantum, non verò Hieronymiano. Valorem ejus nec Maurus Orbinius in Tabellis Historiæ suæ (Il Regno delli Slavi) Pisauri anno 1601 editæ, nec Achridanus Archiepiscopus in suo Alphabeto Romæ 1629 impresso, statuerunt ex usu tamen perspicuum est apud Scriptores aliquos, sonum edere litteræ K Græco modo prolatæ; et præcipue in Participiis præsentis Temporis, in verbo volo, vis, et in aliquibus aliis dictionibus Slavonicis vulgaris dialecti inservit. Hieronymiani autem characteris littera Ѫ Cyrillianæ ѱ vices supplet. Propterea ineptè huic litteræ Ѫ duplex tribuitur sonus in Alphabeto Romano anni 1629, cum non nisi unicum proprium habeat ex litteris ш et ъ compositum. Budineus[2] Jadertinus[3] memoratus[1] vernaculo sermone ac charactere Cyrilliano scribens, promiscuè litteris ѱ et Ѫ in relatis dictionibus utitur, et novæ litteræ unicum tantum sonum ad instar litteræ K Græcæ sicut et cæteri Illyricorum tribuit. Achridanus Archiepiscopus dupliciter pronunciari litteram Ѫ apud Dalmatas invaluisse consuetudinem agnovit, dumque Breviarium impressisset, et jam de litterali lingua satiùs edoctus fuisset, tolerandam duxit vulgarem

garem hujus litteræ pronunciationem, non tamen ubique; ideo ubi necessaria omninò videbatur litteralis tantum pronunciatio, ibi litteram hanc ш tribus punctis insignivit, quibus ~~agit~~ Lectorem admonuit non ~~non alio~~ aliter quàm litterali modo proferendam. Eum et Caramanus Archiepiscopus in correctione Missalis secutus est. Tantorum nihilominùs cùm bona venia Virorum, indulgentia hujusmodi non mihi satis arridet. Nam litteralia legendo vulgari modo pronunciari, depravationem sapere videtur; haud secus quàm Latina j Consonans Latinè legendo depravatur a Gallis ~~[illegible]~~ Gallico modo pronunciata.

At apud Bosnensem nostrum jure meritoque Proteus transmutabilis littera hæc ѧ nuncupari potest.

1. In primis igitur litteræ K Græcæ sonum edit, sicut in vocabulis, quæ ex Kalendario ut plurimum desumam, Посвеѧенне Dedicatio, Божнѧ Nativitas Dñi.

2. Proteus iste stat pro i vel y, vel g Slavonica г, sive denique pro d. Pro i in nominibus Ѧѹѧн Junius, Лѹѧ Julius. Pro d in vocibus похоѧенне Visitatio, Роѧенне Nativitas. Sic enim Romanis characteribus in Kalendario Bosnensis Fr. Bandulovich, qui librum Epistolarum et Evangeliorum Fratris Bernardini Spalatensis emendatum, et Bosnensi dialecto accomodatum Venetiis edidit anno 1613: Sic Cassius in Kalendario Romani Ritualis: Sic Matthæus Alberti Spalatensis, et sic quamvis non semper sibi æqualis ~~[illegible]~~ Sborovcichius Traguriensis: Pohodyenye, Rodyenye, et fundata quidem ratione, nam in verbis pohoditi visitare, et roditi generare radicitus insita est littera d. Pro littera g seu Slavonica г in nominibus

minibus Еванꙉелиста Evangelistæ, Еꙉидио Ægidius, Ремиꙉио Remigius, cum littera g hujusmodi scribunt Bandulovich, Cassius, cum g et aliquando cum y etiam Sborovich.

3.° Non tantum stat Proteus hic ꙉ pro littera д Latina d, prout in libro minori posterius meliori diligentia adhibita examinavi, ubi pag. 35 rectè habet отиде abiit, et pag. 134. сниде descendit, et узиде ascendit, pag. autem 79. 162. 220. et 227. отиꙉе, сниꙉе, узиꙉе. Item pag. 9. 16. 33. 187. видиш vides, видети videre, виде, et види videat, видите videte, et in libro majori fol. 294. saltem decies види, виде, видети: pag. verò minoris libri 22. 162. 173. 175 et alibi verbum hoc sæpe cum Proteo ꙉ profertur: виꙉу video, виꙉете videre, виꙉи vide, виꙉение visio &c: Verum etiam pro duabus litteris sumitur, nimirum pro i vel y, et d simul, et quidem frequentissimè. Verba hujusmodi in libro præcipuè minori contenta pag. 191. tres versus Sequentiæ Dies iræ dies illa, Confutatis maledictis &c desinunt поꙉу ibunt, проꙉу transeam, доꙉу veniam, et alibi semper legimus приꙉе venit, изаꙉе exiit, наꙉе invenit, поꙉе ivit, доꙉе pervenit. Quæ apud Fr. Bandulovich Bosnensem, aliosque Romanis litteris tum in eadem Sequentia, tum in Passione D. N. J. C. secundum Joannem et alibi legimus poydu, proydu, doydu, priide, izayde, nayde, poyde, doyde.

4.° Transmutatur quoque et frequentissimè idem Proteus non solum in litteram t in Modis infinitivis, sed etiam in litteras i vel y et t simul, quod quidem in ipso minori libro liquet tam ex desinentia carminum congruentium, quam ex variatione positionis vocabulorum. Pag. 45. 123. 127. 149. 190. реꙉ, изреꙉ, реꙉи dicere, alibi semper рети. Pag. 160. 161. 173. et 214. прити venire, подити subire, поите ite: alibi habet приꙉи, et прieꙉи. Similiter

militer ea quæ alii Romanis characteribus scribunt: priiti venire, poiti ire, preiti pertransire, doiti pervenire Auctor noster scribit in hoc eodem libro прнѫн, поѫн, преѫн, доѫнꙋ.

5°. Usurpatur etiam pro secunda vocali conjunctiva ь attenuante consonantem litteram, cui postponitur, sed apud Bosnensem Scriptorem semper inconditè anteponitur: ut in vocabulis ѫꙋѫн Junius, Наꙋчнтеѫл Doctor, Мартнѫн дан Martini dies, Мнхоѫ дан Michaelis dies.

6°. Habet insuper Proteus hic vim præpositus consonanti diphtongum reddere vocalem consonanti sequentem: diphtongum scilicet ex i et a, et e, et u compositam, ut in dictionibus Спаснтеѫла Salvatoris, Карстнтеѫла Baptistæ, Четнрн Крꙋѫнени Quatuor Coronati in Titulo libri hujus minoris bis Богоѫлꙋбни devotus.

7°. Tandem valorem prorsus mihi ignotum habet, sed reor non tantum Bosnensibus, verum etiam ipsi Auctori incognitum. In majori nempe primo libro pag. 97, ubi Orationem Dominicam illustrat saltem quinquies Auctor noster ita prodit verbum diligo, et nomen dilectionis: ѫлнꙋбнмо diligimus, ѫнꙋбавъ dilectio, ibi legimus etiam господѫнна Dominica (Oratio), in fine antecedentis paginæ господѫнне Dominicæ. Jam Proteus iste ad transmutationem vocalis in diphtongum est inutilis, nam diphtongi hic litteris sejunctis extenduntur; inutilis quoque ad consonantem, cui præponitur incongruè, attenuandam, nam primò; attenuatur consonans per litteram i sequente alia vocali; secundò, si Proteus stat pro vocali conjunctiva ь attenuante consonantem,

altera

altera vocalis conjunctiva, quam dictionibus in consonantes desinentibus meritò assidueque Auctor apponit, erit profecto ea, quæ plenam vel asperam consonantem reddit. In his ergo dictionibus, et similibus, quæ passim proferuntur in primo libro Спасителъ Salvator Научителъ Doctor; si Proteus ѣ attenuat, et ъ consonantem replet; cui consonans л parere devincta est? De Proteo Bosnensi satis, ad ulteriora parumper transeamus.

Ex primo libro toto, et ex dictionibus a me productis evidenter colligitur diphtongos Bosnensibus vel esse ignotas, vel superfluas, quianam extendunt litteras diphtongorum sejunctas. Amabò, si diphtongos excludam; quo pacto sequentia vocabula, aliaque hujusmodi, dissyllaba ne, an trisyllaba sint discernam? Марна, Марне, Марну: на ego an unica, vel duabus, исповнедану confitentur, an quinque vel potius septem Syllabis constet?

Ludit præterea Auctor noster Bosnensis litterâ seu potius Syllaba ѿ, quæ vim Latinæ Prepositionis ab tenet. In libro majori fol. 288, et sequenti, plura alia loca ommittam quindecim numerantur litteræ compositæ ѿ, et undecim Syllabæ ѿд, scilicet cum littera ѣ adjunta д. Dicendum igitur vel primam earum non sufficere ad Præpositionem ab significandam, vel secundam ineptè redundare litteris, consequenter ignavus litterarum ludus.

Insuper litteræ щ usus apud Bosnensem nostrum observabilis videtur, unicum enim sonum compositum ex litteris ш, et т hoc elementum perturbatè tenet; idcirco Bosnensibus superfluum. Non semel namque et bis, sed sæpè compositionis litteras sejungunt.

sejungunt. Nomina Augustini, Eustachii, Apostoli, Evangelistæ aliaque in Kalendario litteræ st scribuntur cum щ nihilominus ibidem die 28 Octobris scriptum apparet Апоштола, in Symbolo Fidei ejusdem secundi libri ѿпуштенне remissionem, in Oratione Dominica ѿпущамо dimittimus, in quarto Dei Præcepto поштуи honora, pag. 360 de X Præceptis et alibi поштенне honor, de Sacramentis pag. 372. Карщенне et карштенне Baptismus, ibidem pag. 374 посветилище, et посветилиште Sacramentum: in libro quoque primo ampliori in Symb. ѿпущенне, in Orat. Dom. ѿпуштамо, pag. 111. пощуи, pag. 118 пощенне, pag. 148 карщенне, et карштенне.

Observabilis quoque ineptus usus litteræ ф in dictionibus merè Slavonicis, et speciatim loco litterarum хв, ut уфанне spes, фала gratias; dum littera hæc a Græcis sumpta extraneis tantum vocabulis inserviens, nobis omnino inutilis est, nulla enim Slavonica dictio reperitur, quæ hanc litteram exigat: imo Dalmatæ neque in extraneis vocibus eam pronuntiabant. Qua de re in Codicibus Hieronymiani characteris frequenter reperitur littera п pro ф usurpata. In Codice similiter, quem apud me servo in charta membranea charactere Hieronymiano lingua vulgari, litterali tamen proxima inscripto Speculum humanæ Salutis, anno 1445 Verbenici (Oppidum Insulæ Veglæ) exarato, lego pag. 37. [illegible] Pharao, [illegible] Josepho, pag. 71. [illegible] Caiphæ, pag. 181 [illegible] Pharisæi: Стиепан et Стипан Stephanus in suo Kalendario habet ipse Bosnensis Scriptor. In relato

altero

altero meo Codice Bosnensi litteralis lingua quamvis littera ѣ non desit, attamen pluries дна pro Alpha legitur.

Notandum etiam numeros apud Illyrides litteris Alphabeti efferri. Cyrillianus character seriem Græcorum semper imitatur, præter numeros 6, 90, 900: Hieronymianus verò character a 2. numero ad 9 usque, denuo a 20 usque ad 90, tandem 800, et 1000 cum Cyrilliano non consonat, seriem tamen proprii Alphabeti ad amussim sequitur, usum hujusmodi procul dubio antiquum esse, ex vetusto Codice Macedonico relato satis constare videtur.

At Bosnensis Auctor, quod observare potui 60 numerum variat pro ѯ ponit ч; ad 90 pro ч ponit ц; ad 700 pro ѱ ponit ѿ, et ad 800 utitur littera ц pro ѿ. Varietas hæc et ab Hieronymianis litteris dissonat. Budineus pro numero 60 signo Græco ц utitur, in reliquis universali usui consonans.

Denique cæteris omissis de varietate inter ambos libros ejusdem Auctoris, referam de littera ъ, quæ vocalis conjunctiva litteralis Alphabeti est, ejusdem et alterius quoque vocalis conjunctivæ vim satis superque Archiepiscopus Jadrensis Caramanus in suo completo Alphabeto 1753 secundò edito declaravit, et in hac etiam Grammatica vis eadem indicatur.

Auctor ergo noster in primo ampliori libro ubique vel expressam, vel signaculo superposito implicitam litteram hanc religiose observat: in secundo vero libro minori prorsus ubique eam eliminat. Aut At cur Auctor hujusmodi litteram consonantibus apposuit? Utique neque eum, neque cæteros Bosnenses scivisse, pignore audenter certarem: alias secundam vocalem conjunctivam minime neglexisset, nec

in po-

in posteriori libro ommisissent, saltem qui secundæ, tertiæ, et postremæ editioni incubuerunt.

Budineus Jadertinus in relata Catachesi ambabus etiam litteris usus est, sed absque discretione, inde eidem similiter vim horum elementorum ignotam fuisse manifestum est.

De vetustis Illyricis Alphabetis etiamnum quidquam detegere mihi non evenit, præter descriptum Hieronymianum mei parvi Codicis sæculi XV Apocalypsim continentis. Quapropter quo Alphabeto usus sit Bosnensis Auctor divinare nescio: hoc unum scio, depravatum, ac valde mutilum illud fuisse; scilicet litteris carens ѕ, ї, ы, ь, ѣ, ѥ, ю, ꙗ, ѡ, et a Græcis pro extraneis dictionibus, et pro numeratione sumptis ѯ, ѱ, ѳ, ѵ̈.

Alphabeto Achridani Archiepiscopi Levacovich, quamvis imperfecto, uti non potuit, quia decem et octo annis post Auctoris Bosnensis editionem Romæ prodiit. At Tabellæ Mauri Urbini, quæ annis decem præcesserunt, Auctori prodesse potuere, istæ igitur Auctori nostro forsan suffecerunt: quamvis in illis Romano Alphabeto deterius inspiciatur; quandoquidem a figuris ipsis fędatis evincitur Urbinum a rudioribus purisque Illyricis accepta elementa in suas Tabellas deprompsisse, atque parum vel nihil Slavonicarum litterarum sapuisse. Codices tamen nitidis characteribus exscripti, librique excusi, ut recensui, etiamtum non defuere, quibus Tabellas suas tum perfectiores, tum ornatiores formaret. Quod ut clarius elucescat per litteras Hieronymiani characteris præcipuè cursim pertranseamus. Ex quo desumetur argumentum, æque ac ex dictis hucusque;

quantam

quantam eo jam tempore vulgus antiquæ suæ linguæ jacturam fecerat.

+ Monumentum nomenclaturæ Hieronymiani Alphabeti antiquum, quod sciam non habemus; vetustiorem tamen Cyrilliano esse non dubitamus: etsi aliunde documenta deficerent, duo relati Codices Vetustissimum Psalterium, et Macedonicum id satis probarent; neque seriem litterarum cognosco antiquiorem sæculo XV, videlicet descriptam mei parvi Codicis Bosnensis, non tamen absolutam, ubi etiam Scriptoris incuria littera Ѱ ommittitur, et Missalis Romani enunciati 1483, in quo pro Bibliopolarum norma litteris impressa folia notantur, sed non ultra litteram Ѫ, ommissaque littera Ѧ: ex enumeratione nihilominus litteris annexa hujusmodi seriem saltem usque ad litteram Ѫ, quæ 1000 numerum signat, putamus esse vetustissimam, siquidem cum hodierna numeratione et Macedonicum Codex concordat. Si D. Cyrillus IX sæculo novum characterem Slavonicum, forsan etiam pro majori legendi, scribendique facilitate vel assumpsit vel inventavit, nihil omninò Slavonicam linguam variando, non videtur probabile, eum et pristinam nomenclaturam immutasse; non immeritò igitur utriusque characteris eandem vetustissimam nomenclaturam communem evasisse argumentabimur.

Urbinus valorem litterarum Latinis desuper elementis signat: hucusque bene: at comparationem non æquat ubique. Slavonicæ i Ѱ primæ desuper ponit iz, si saltem ize posuisset nomen litteræ notasset: nunc autem qualis valor concipi potest? Vocalis ne, an Consonantis?

Trium

Trium litterarum i Slavonicarum ѱ ѯ ѿ, secunda ѯ pro principali semper et ubique elucet Græcæ ѱ, Latinæ i Cyrilliana ѱ correspondens, ideoque Slavonicum nomen ixe meretur, quod Latinis litteris exprimi nequit, non vero prima, cujus certum valorem, et nomen ignoramus, cum nullibi in Slavonicis dictionibus reperiatur, sed tantum pro numero 10 usurpatur, eam potius Græcam ϒ esse opinor, quæ Hieronymiano Alphabeto in fine deest. Propterea Caramanus cum principali ӥ et duobus punctis supplet litteræ y, vestigia sequens Breviarii, non verò Alphabeti a Levacovich editi, et ne iterum novum usum introduceret. Levacovich ipse suis scriptis confessus est, plura ex vetustissimo Psalterio enunciato didicisse, et proprium errorem, quo captus scripserat agnovisset. Idęque Breviarium ipsius septemdecim annis post Missale perfectius in lucem prodiit; ex quo manifestum est eundem ignorasse litteralem linguam, dum Alphabetum imperfectè ante Missalem ediderat. Præterea (ad litteram ѯ redeundo) septima Tabellæ littera ѕ Cyrilliana ѕ Latinæ x ab Urbino æquiparatur, benè vel malè venia dignus, nullo enim Latino elemento etiamsi composito valorem adæquatum designare possumus; atqui decimæ litteræ ѯ, Cyrillianæ ѱ nuncupatæ ѯѕ, nomen nonnisi cum septima ѕ ѕ scribendum: juxta principia igitur ipsiusmet Urbini, minus ille erraſset, signando hanc decimam litteram Latinis elementis ix, quæ si non valorem, saltem medietatem nominis protulissent: nunc jam evidens est Urbinum nugari in hac re, hìc mutat x in z, iz scribendo: in Tabella deinde Cyrilliana, quæ nomenclaturam continet, septimam litteram

teram ѯ vocat scivieti, en transmutionem x in litteras sc: decimam denique litteram ѧ nuncupat ise: et ecce iterum illius primum principium x in litteram s transmutatum.

†Tertiæ litteræ i fœdatæ, quæ alias esset ѩ superscribit g, hujusmodi valor jam litteræ ѕ rectè datus est, iterum ergo negatur Urbinus. Hanc litteram Antiquiorem in Codicibus, quam in libris typo datis pro jota Græca, et pro j consonanti latina habuisse sæpissimè observavi. Levocovich quoque idem ex memorato Psalterio didicisse profitetur: Nunc verò cum principali ѯ et puncto suppletur in minusculis, majusculæ autem secernuntur figurâ, altera ampliori circulari Ѯ, altera angustiori angulari Ѯ; hæc autem ѩ tantum pro numero 30 stat in præsentiarum.

Litteram ѕ signat cum c; at cur non cum K? cum sit revera eadem littera? Notum est cuique Litteram c Latinam diversum sonum edere ante vocales e, et i, qui utique Slavonicæ ѕ tribui nunquam potest. Ad hæc quanam differentia ~~erit~~ intercedet inter ѕ, et ѱ, et ѵ, dum amborum valor pariter signatur litteris c et ci Latinis?

Litteram u scribit Cyrilliano charactere ѹ, quæ figura huic characteri omnino est impropria, et nunquam in Codicibus antiquis reperitur: in Cyrilliana deinde Tabella ita eam depravat, ut in eam quoque in ullo Codice contigit mihi in similem figuram incidere, scilicet ѡ.

Littera cui Urbinus superponit ot, primò ita deturpatur, ut nec pro alia sumi queat, nisi pro prima ejus littera i, secundò ea non est littera seu Syl-

laba

labe ꙋ sed loco litteræ Ψ posita, quam Levacovich benè figuravit ꙋ, attamen et ipse hallucinatus est pro ꙋ eandem tradens. In Codicibus enim antiquis, librisque nunquam alia figura quam ꙋ cum minuscula ꙋ vel alio signo æquivalenti notata, vel in linea extensa ꙋꙋꙋꙋ aspicitur; cum hæc ipsa littera sit Præpositio tam absoluta, quàm compositiva, sæpenumero in Oratione usuvenit. In descripto Alphabeto mei Codicis hæc littera ꙋ ad Cyrillianum characterem pertinet, probatque litteras Urbini, et Levacovich non esse ꙋ, nisi in meo Alphabeto repetitam esse velimus.

Litteras ꙋ, et ꙋ deformatas, primam Latinis ci, secundam c inscribit: num inter has litteras discernimus valorem? Prima harum quemadmodum t Latina ante i sequente vocali pronunciatur; nunc potius nomen, quàm valor exprimitur: propterea in Cyrilliana Tabella cum Latinis zi nomen et valorem inscripsit: secunda vero sicut Romana c vocalibus e et i præposita sonat: differunt tamen a Romanis litteris nostræ Slavonicæ, quia hæ proprium constanter servant sonum, non solumodo cum cæteris vocalibus, verum etiam quotiescumque eædem alias consonantes præcedunt, et finales ponuntur.

Litteris ꙋ, et ꙋ, primæ Latinas sc, secundæ s desuper ponit. Sc magis secundæ congruunt, nam sonus harum vocalibus e, et i præpositarum Slavonicæ litteræ respondet. Levacovich litteram ꙋ Bosnensium more notat set, aliumque dat valorem cum litteris ch. Duplum hunc valorem apud Illyricos tantum linguæ corruptela induxit; ch cum principali sono Bosnensis Protei discussi

conso

consonat. Apud Antiquos, et apud alias Slavonicas Nationes etiamnum unicum sonum hæc littera habuit, habetque ex litteris ш et ѣ compositum; quapropter melius Caramanus cum litteris sceh valorem ejus exprimit. Litteræ verò щ signatæ ab Urbino cum Latina ş quænam distinctio erit a ѧ cum ş quoque signata? Insuper щ, et ѱ Hieronymiana eadem sunt cum Cyrillianis щ et ѱ. Urbinus litteram щ in Cyrilliana Tabella vocat scai, quod equidem nec nomen significat, nec valorem comprehendit; litteram deinde ѱ nominat stai Bosnensium fere modo, At jam constat litteras Cyrillianas variare ab Hieronymianis. Adde, si Hieronymianum cum Cyrilliano unum ac idem Alphabetum Slavonicum ejusdem antiquæ lingua nostræ noscimus, litterarum tantummodo figuratione excepta: Cur et non idem valor litterarum? Cur altera Tabella litteris abundat, altera deficit? Hujusmodi igitur Urbini eruditionem melius scurrilitatem, quàm scientiam judicabimus.

Tandem supra elementum ı notat litteras ie, duplum sonum tribuit, cum neque unicum per se habeat, nisi conjunctum cum consonanti finali. Cyrilliana Tabella hâc litterâ caret, quæ esset ѣ nomine jerr, carentque ambæ litteris secunda vocali conjunctiva ı, Cyrilliano charactere ь, diphtongis ѣ ѣ, ѣ є vel ѣ, ѫ ьı; præterea Cyrilliana Tabellæ desunt diphtongi ѧ et ѭ, et littera ѯ; Hieronymianæ vero deest ѿ scilicet ѡ, et littera seu syllaba ѿ. Littera ѯ Hieronymiano charactere, ut candidè loquar nullibi apparet, supplent Illyrici huic litteræ satis cum ѕ; sicut et litterâ ѱ, supplendo cum

litteris

litteris ⲡⲣ, nunquam utuntur nisi pro numero 700. Si Levacovich quoque eam pro ⲟ̅ⲩ̅ proposuit in Alphabeto suo, nullibi tamen usus est hac figura ⲡ̅ sed jugiter altera ⲟ̅ⲩ̅, ac ⲡ̅ pro ⲟ̅ⲩ̅ ex Codicibus nostris profecto non eruit, in ipsis ob frequentissimum usum neque pagina fere una absque Præpositione hac reperitur; potius a numero forte sumpsit, cum Bosnensium depravatio 700 notat cum littera ⲱ̅. Ita a numero nimirum vetustissimo Græcorum tutius ea pro Ψ cognoscenda erat.

Quonam modo jam tam accurata elegntique Tabella cribrata aliquam excerpere possumus eruditionem? Certè nonnisi evidens depravationis argumentum. Plura enim in Codicibus utriusque characteris inspicimus elementa, quam in vetulis litterarum collectionibus nobis cognitis, quæ Alphabeta dicuntur. (*).

Si quæres: Cum apud nos collectio hujusmodi elementor

(*) Postquam hæc scripseram tertium nostri Bosnensis Auctoris Divcovich librum Concionum iisdem characteribus Servianis sive Cyrillianis, ejusdemque Bosnensis dialecti Venetiis 1616 excusum inspicere mihi contigit, in eo etsi parum immoratus sum, attamen hæc saltem notanda putavi. Post brevem Prologum Alphabeti seriem exhibet hujusmodi, de quo nihil omnino innuit:

А Б В Г Д Є Ж Ѕ З Ї И К Л М Н О П Р С Т Ꙋ Ѳ Х Ѿ Ф Ц Ч Ѫ Ш Щ Ѣ Ѥ:

Litteris ѕ ї ѳ non nisi pro numeris, rarò diphtongis ѣ, et ѥ utitur. Prima diphtongorum, quæ loco ꙗ posita videtur, ab Auctore pro j consonanti, vel compositiva diphtongorum usurpatur, hæc ipsa pluribus in paginis nunquam apparet, in aliquibus verò cumulatim redundat: Pag. 109 duodecim vicibus eam litteram ostendit in sequentibus vocabulis:

ter

mentorum frustra investigatur, ubinam regula, qua nostros Alphabetos imperfectionis criminemur? Dicam audenter in antiquioribus nostris Codicibus Illyricis si non series saltem numerus, figuræque litterarum perfectè reperiuntur. Completum autem Alphabetum non absque ratione auctoritati Virorum doctrinâ præstantium innixus asseram, apud Russos inveniri. Russi enim quovis tempore Sacros libros immutabiles religiosè custodierunt; apud eos Viri Ecclesiæ ministerio addicti litterali linguæ jugiter studia impendunt. Quotquot tum Russi Moscovitici Imperii, cùm Regni Poloniæ Rutheni Sacros libros, vel ad eos modo aliquo spectantes litterali lingua typis mandant, omnes utique Slavonici, et linguâ antiquâ Slavonica inscribuntur, nec sibi gloriam arripere audent; imo litteralem linguam Illyricis cedunt, qui jam a sæculis Slavonica denominatione potiuntur. Pudeat: Quandiu e contrario tanta nos in Illyride soccordia vexabit, ut vix unus inveniatur, qui propriam antiquam matrem linguam noscere studeat?

Quando primum 1631 imperfectum Missale Romæ typis dabatur, et 1648 Breviarium Slavonico idiomate purgatum correctumque, nonnisi inter Illyricos unus Fr. Raphael Levacovich litteralem lin=

---

ter ѣаганца agnum: ter ѣест est: bis ѣедногa unum: item ѣесꙋ sunt: двнѣꙋ duorum: ꙋѣедно simul: demum superfluam коѣнем quibus. Vocalem autem conjunctivam ъ in primo libro jam descripto constantissime implicitam, vel explicitam observatam, in hoc tum libro, tum Alphabeto plane rejicit.

lem linguam callebat. Dum secundo 1688 ipsum Breviarium iterato imprimeretur unus fuit Pastritius quinquagenarius ab Alphabeto exorsus, ut editioni curam daret, quemadmodum ipsemet suis Scriptis refert. Cum secundò vel tertiò Missale non tantum iterum imprimendum, sed et purgandum necessitudo urgebat, unicum Missionarium Apostolicum Russiæ Caramanum Abbatem, deinde meum Auxerensem Episcopum, tandem Archiepiscopum Jadrensem Heros Dalmatiæ Vincentius Zmajevich Archiepiscopus Præcessor Sac. Congregationi de Propaganda Fide proposuit.

Paucis annis transactis præter Archipræsulem Caramanum eruditione ac probitate præstantissimũ Virum duos litteralis linguæ peritos Dalmatas numerabam: Michaelem Lubencovich Spalatensem Presbyterum Illyrici Jadrensis Seminarii Præceptorem, quem ipse Caramanus erudire dignatus fuerat; et meum Auxerensem Præsulem Nicolaum Dinaricium ad Metropolitanam Sedem Spalati meritissimè translatum virtute, pietate, et doctrinâ clarum, qui bis velter me humanissimè audito, raptus non tam ab elegantia litteralis linguæ, quàm a zelo Illyricum Clerum instituendi, propria manu, non parcendo labori, Grammaticam hanc transcripsit, libroseque aptiores ad profectum sibi comparare curavit: Sed jam requiescunt in pace, neque unum posteos indicare valeo in Dalmatia tota, qui litteralem linguam calleat. Erubescamus in curiâ nostræ: Italus vicinusque nobis Justinopolitanus Antistes de Comitibus Camuciis eruditione et ecclesiasticæ disciplinæ studio spectabilis nostrum pudorem

auget. Præteritis annis in suis Epistolis ad me benigniter missis testatus est, neque an litteralis lingua Slavonica a vulgari distincta existeret se scivisse, quamque characteribus tantum differre existimasse: nunc autem adeo tam vulgari, quàm litterali dialecto instructus est, ut suis Epistolis de Slavonici Missalis correctione judicium ferre, atque Archi præsulis Caramani laborem probare non hæsitat; insuper et novam Breviarii Slavonici impressionem totis viribus urget.

Sed jam Pastritium audiamus Volumine B citato:

„ Cum verò iterum ob defectum exemplarium novam vestra pietas exposceret a Sac. Congregatione
„ de Propaganda Fide impressionem (Breviarii) novum debebat Levacovich revocare..... Puer
„ fere septennis e Patria exivi, Venetias et Romam
„ deinde pedem tuli..... Characteres enim, quos
„ vocant S. Hieronymi a teneris annis noveram,
„ sed ad 52 annum fere obsoleta notitia cariem
„ induxerat. Unde renovare lectionem, et peritiam oportuit, et typis inhærere, ut quod in pris-
„ ri erat impressione fideliter recuderetur. Cum
„ verò ad Officia propria Sanctorum perventum
„ est, ibi ex penu propriis depromenda erat mate-
„ ries. Sed ubinam expiscanda? nimirum videba-
„ tur intelligere, quod dicebam; at vere nè in lit-
„ teralem dialectum, hoc opus hic labor erat. Ne-
„ que in Dalmatia tota erat qui nosset; consului
„ ut potui per rubricas emendando ad calcem
„ Breviarii Officia propria, et interim quærere
„ modum, ut si fieri posset regulas Grammaticæ
„ mihi elicerem, et vocis; longus tamen labor, et
„ incertus. Adjumento non modico fuit antiqua

„ Ruthenorum

